

ECKBERTUS SEU EGBERTUS

ABBAS SCHONAUGIENSIS

ET

SANCTA ELISABETH

SOROR EJUS GERMANA

NOTITIA HISTORICA IN ECKBERTUM

(FABRIC., *Biblioth. med. et inf. Latinit.*, II, 78)

Eckbertus, alias *Egbertus*, presbyter et canonicus Bunnensis, Coloniensis diocesis, ac denique monachus et post Hildelinum, abbas Schonaugiensis (1) S. Florini in diocesi Trevirensi, ordinis Benedict. circa Annum 1160. Opusculum *De laude crucis*, et *Soliloquium*, sive *Meditationes* et *Stimulus amoris* in celeberrimi Bernardi Pezii *Bibliotheca ascetica*, tom. VII, pag. 13, 21, 57, Ratisbonæ 1725, 8°. *De obitu sororis suæ germanæ S. Elisabeth*, virginis abbatissæ Schonaugiensis, defunctæ a. 1165, ad cognatas suas, prodiit in Actis sanctorum tomo III Junii, 18, pag. 607, cum hujus Elisabethæ Visionum libris v, ut prius lucem viderat edente Jacobo Fabro, Stapulensi, Parisiis 1500, et deinde Coloniæ 1628, etc. *Sermones* XIII *adversus hæreses Cotharorum*, hæresim Manichæorum renovantes (cum *excerpto de Manichæis* ex Augustino) ad Reginoldum, archiepiscopum Coloniensem, Coloniæ 1530, 8° (2), et tomo XII Colon. atque tomo XXIII *Bibliothecæ Patrum* edit. Lugd., pag. 601. Cætera quæ huic Ecberto tribuuntur apud Trithemium cap. 403, De S. E. et illustr. Benedictin. II, 121, sunt: *In principium Evangelii Joannis*; *Super Magnificat*; *Super Missus est angelus*; *Meditationes*, *Sermones* per annum, *Laudes Salvatoris*, et *Epistolæ* ad diversos.

NOTITIA ALTERA.

(R. P. D. Bernardus PEZIUS, *Bibliotheca ascetica antiquo-nova*, t. VII, Præf., n. 2.)

Eckeberti nomen apud plerosque scriptorum ecclesiasticorum nomenclatores exstat. Eum insigni elogio celebrat Jo. Trithemius tum in *Annalibus Chronico Hirsaugiensi*, editionis Sanct.-Gallensis tom. II, pag. 450, tum in libro de scriptoribus eccl. cap. 403, ubi hæc ejus verba sunt *Eckebertus* (in Chron. Hirsaug. *Egbertus*) *secundus abbas monasterii Sancti-Florini, Ordinis divi P. Benedicti, Trevirensis diocesis, natione Teutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus et eruditus, et non minus conversatione scientia venerabilis, frater beatæ Elisabeth virginis, abbatissæ Schonaugiensis fuit. Hic ante Bunnensis (seu Bonnensis) Ecclesiæ canonicus fuit a sancta sorore ad Schonaugiam vocatus, primo monachus, ac deinde abbas factus est. Scripsit non contemnendæ lectionis Opuscula, quibus nomen suum ad posteritatis notitiam transmisit. K. quibus subjecta reperi:*

Adversum hæreses lib. 1. *Prophetarum dudum temp.*
In principium Evangelii Joannis lib. 1. *Mysteria divini ser.*
Super Magnificat lib. 1. *Spiritus Domini super te Ma.*
Super Missus est angelus lib. 1. *Sermo evangelicus omni.*

(1) Abbatiam Schonaugiensem ab abbacia S. Florini præter rem, diversam faciunt Vossius pag. 430, Oudinus, t. III, pag. 1548, aliique.

(2) Hermanni ab Hardt autographa, tomo III, p. 195.

PATROL. CXCIV.

1

571